

DISPUTATIO  
DE  
SACRIFICIO MIS-  
SÆ PROPITIA-  
TORIO

PRO  
VIVIS MORTUISQVE,  
JOANNI DECIO, JESUITÆ, OPPOSITA:

*Quam*  
Consentiente Vener. Facult. Theologicâ  
PRÆSIDE

JOANNE FECHTIO,  
S. S. THEOL. D. EJUSDEMQUE P. P.

CONSIST. DUCAL. MECLENB. ASSESS.  
ET DIST. ROSTOCH. SUPERIN-  
TENDENTE,

Publico placidoqve Eruditorum Examine  
in illustri Univers. Rostoch.

*Ad d. Martii A. M DCCI. in AUDITORIO MAJORI*  
horis consvetis  
submittit

IOACH: PRÜSSING.

Warenâ-Meclenb.

ROSTOCHI,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliff. Sen.  
Typograph.

a. XXXII. 59.

Coll. diss. A  
32, 59



SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
**DN. FRIEDERICI  
WILHELMI,**

Ducis Meclenburgici Regentis, Principis Ve-  
tustæ gentis Henetæ, Sverini & Raceburgi, Comitis item Sveri-  
nensis, Terrarumqve Rostochii & Stargardiæ  
Dynastæ,

Principis ac Domini mei longè Clementissimi,  
**PRIMORIBUS MINISTRIS,  
CONSILIARIIS**

gravissimis longeq; meritissimis,

**VIRIS**

Illustribus, Generosis, Magnificis, Præ-Nobi-  
lissimis, Excellentissimis, Amplissimis,  
Consultissimis,

**DN. JOH. CHRISTOPH.**



de **Löw** /

Primario Ministro, Iupremo aulae MARE-  
SCHALLO & Consiliario Intimo.

**DN. ERNESTO CHRI-  
STOPH. von Zoppelau/**

Primario Ministro & Consiliario Intimo.



**DN. JOH. CHRISTIANO**

**Geselin /**

Jcto & Consiliario Intimo.

**DN. JOHANNI von Mehren /**

Consiliario Intimo & Camerae

**DIRECTORI.**

**DN. JACOBO Gaddel /**

Consiliario Intimo-Aulico.

**DN. JOHANNI Klein /**

Jcto, Consiliario Intimo-

Aulico.

**DN. HERMANNNO HER-  
TELIO,**

Consiliario Camerali & Quæstori  
provinciali.

**DNN. PROMOTORIBUS, FAVITORIBUS  
pretiosissimis & observandissimis.**

**Mæce,**



## Mæcenates O. M.

**Q**uò audaciæ me processisse judicatis, cum in splendidissimum Vestrum Confessum exiguo sane, ut videtur, cum rubore, exiguum aliquod, & Personis vestris summè venerabilibus non satis dignum observantiæ documentum proferens, eundem perturbo. Quod si me gravissimarum cogitationum, proficuarum proq; Serenissimi Principis incolumitatesusceptarum meditationum interpellatorem exire ab ore Vestro juberetis, res foret æqvitatibus judicio haud incongrua, incongrua vero diviniæ Vestræ benevolentia; imò inaudita, quâ veros Studiorum cultores prosequimini, animi propensitati, meo, si quod est, judicio foret incongrua. Hanc verò cum & ipsemet olim expertus maximam partem fuerim, & omnis nostra Regio, quique extra eandem detinentur, plenis quasi buccis prædicent atque decantent: fieri nullo modo potuit, quia in meâ mente summa, post admirationem summam, relinqueretur ejusdem veneratio. Ad hunc igitur fontem, *Patroni maximi*, velim referatis isthanc fiduciam, per quam præsentem de Sacrificio Missæ, quod volunt, propitiatorio, *fulgidissimis Vestris Nominibus* sacram facere, aut, si ita visum fuerit, velut sacrificium aliquod pedibus Vestris, non sine summa subjectione, submittere inducor. Submittitur autem eum quidem in finem, ut sit propitiatorium, h. e. ut suffragante illud animo & annuente fronte respicientes, favore Vestro, per ipsam hanc humanitatem Vestram, complecti ne dedignemini. Ipsi enim perspectum habetis & habetis optime, non minus generosæ indolis esse, exilia non despiciere, quam ornare eximia. Si igitur hæc à Vobis impetravero, quemadmodum me impetraturum confido, super altari precationum quod urit thymiama non unquam extinctum iri Vobis persuadeatis certissimè. Summum enim, quod non fucatâ pietate decolitis, Numen ardentissimis, ut par est, indies defatigabo precibus, ut Vos totius Reip. Meckl. columnina, quibus tutò innititur, incolumitate & firmitate in seram ætatem donet, ne eorum aliquod aut vacillet facile, aut planè collabascit: Ut salutaria subinde consilia suggerat, quæ in rebus feliciter gerendis vel Horatii virtuti, vel Decii fortitudini multis anteire paralangis rectè judicat justus æstimator: Ut, quod voti summa, in Magnifica vestra Capita & Præ-Illustrem progeniem felicissima quæque plenâ manu cælitus congerat atque effundat. In vos autem, quos ob tristia eaque carissima funera, mœstos omnis videt civitas, inque Vestra pectora non leviter vulnerata svavissimos solatorum rivulos derivet, quibus perceptis in divinâ voluntate, quam, ut in omnibus, ita in hac maximè parte, lubentes exosculamini, unicè acquiescatis. Ita vigete, Mæcenates O. M. Defensores Reip. strenui, vindices justitiæ acerrimi, Promachi periclitantium desideratissimi, Hyperaspites Clientum optatissimi, valete, atque, quod etiam atque etiam rogo, commendatissimum habete

*Vestrorum omnium Nominum Summoperè venerabilium  
Clientem ac Cultorem Subjectissimum*

**J. Prüssing.**





# PROPOSITIO QVARTA.

*lis argumentis, quibus Jo. Dexius comprobet, Missam esse sacrificium propitiatorium pro vivis mortuisque, àque Lutheranis in Ecclesias suas iterum recipiendum, nullum robur inesse.*

I.



Uo præcipuè fuerunt, quæ Lutheranis in Romanæ Ecclesiæ de Missatico sacrificio doctrinâ intolerabilia semper visa fuerunt, primò quod sacrificium propriè dictum esse doceretur, deinde quod adderetur, esse sacrificium pro vivis mortuisque propitiatorium. Videbatur enim utrumque descriptæ in sacris sacrificii Christi unitati adversari & à naturâ atque indole novi T. post immolatam à Christo corporis sui victimam, postque propitiationem per illam unicè perfectèque factam, alienum esse, quippe quod spiritualibus tantum gauderet sacrificiis & in cultu DEI ab omni corporeâ specie remoto, acquiesceret. Juxta illud Servatoris: *DEus spiritus est, qui què illum colunt, in spiritu & veritate colere debent.* (a.)

II. Non obscurum hoc est Romanis doctoribus, qui ideò nervos omnes eò intendunt, ut assertioni primo statim obtutu homini, sacrarum Literarum lectioni adsveto, absurdæ colorem aliquem obducant, eamque verosimilem reddant. Quas se in formas speciesque vertant, ut rationem inveniant, quâ Missam, quæ Sacramentum est, homini à DEO oblatum, simul convertant in sacrificium, DEO

A

ab

(a.) Joh. IV. 24.



ab homine oblatum, quamque ratio, quam comminiscuntur, omnis, ad sacrarum Literarum, primæ præcipuè institutionis, lucem collata, haud aliter ac cera, solis calori obversa, liquecat & abeat in fumum, superiore à nobis exercitatione ad oculum, ut speramus, ostensum est. Nunc idem bono cum DEO facturi sumus circa argumentum, cum quæritur: an Missa sacrificium propitiatorium possit appellari? Quo facto ultrò patebit: sitne revocandum illud, quod optimo eque sacraeque Scripturae conformi consilio ex Ecclesiis nostris, Argentoratensi imprimis, exactum est, Missæ, quod dicitur, sacrificium, an verò expectandum, donec evidentioribus indiciis, quam hætenus patuit, constet, utrum illud sit cultus DEO gratus atque acceptus?

III. Id priusquam aggrediamur, rationes nobis recensendæ sunt, cur Lutherani ab omni sacrificio propitiatorio, si à sacrificio crucis Christi cruento discesseris, abhorreant, quæ cum in superioribus disputationibus passim comparuerint, vel nuda earundem sufficet repetitio. Et primò quidem si ne sacrificium quidem veri nominis Missa est, quâ de re ex supra dictis judicari poterit, quæ sacrificium propitiatorium, quod veri sacrificii species est, esse poterit? De quo enim genus negatur, de eo & speciem negari in confesso est. Secundò si sacrificium est Evcharistia & quidem propitiatorium, quæ fit, quod ne semel quidem in sacris, siue eo loco, ubi instituta legitur, siue alio quocunq; vel sacrificium dicatur, vel propitiatorium? In V. T. ubi sacrificia propitiatoria, peccata Leviticè tantum expiantia, instituntur & enarrantur, propitiationis decies, (b.) sacrificii pro peccato & culpâ frequentius mentio injicitur. Quis igitur crediderit, sacrificium N. T. unicum, nobilissimumq;, quod nervum totius in se religionis Christianæ complectitur, sacrificium totius mundi propitiatorium, quod vivos mortuosque DEO conciliat, ne semel quidem in universâ N. T.

Scri-

(b.) Lev. IV. 21. 26. 35. V. 6. 13. 16. 18. VI. 7. 30. VII. 7.



Scripturâ sacrificii, nedum propitiatorii, nomine celebrari? Sacramenti vocem, quæ Ecclesiastica est, in Scripturâ non comparere, neq; mirum est neq; necessum, cum tradi rem ipsam sufficiat. At sacrificii vox solennissimæ in sacris usurpationis est & propitiatorium pro peccato sacrificium sæpissimè occurrit, nunquam tamen unquam de Evcharistiâ vel disertè enunciatur, vel res ipsa ullo alio indicio exprimitur. Si sacrificium esset Evcharistiâ & si propitiatorium esset sacrificium, putabimusne fieri potuisse, ut Apostolus Paulus, istos circa primarum *σου ἀξίω* celebrationem abusus tam graviter reprehendens, (c) irreverentiam in celebrando audiendoque sacrificio, quæ cum confusaneâ communionem individuo nexu juncta fuerat, silentio præterisset? Ut taxasset sacramenti, tacuisset sacrificii, rei longè præstantioris & eminentioris, excessum? Innumeræ scriptæ sunt ab Apostolis epistolæ de omni Divinorum mysteriorum argumento ex DEI consilio informantæ, & nec unâ quidem vice sacrificii in Evcharistiâ DEO offerendi meminerunt. Itane ignorarunt palmariam Divini cultus partem, quam in hodiernis scriptis Romani doctores omnibus quasi paginis extollunt & vehunt in cælum? Si uni alteriq; præjudiciis forte occupato, hoc, quicquid est, argumenti non tanti videbitur esse roboris, ut animum convincat, planissimè tamen persuasus sum, ita comparatum id esse, ut sacrificium istud Romanæ Ecclesiæ homini extra partes posito vehementer possit reddere suspectum. Si enim ad *λειτεργίας*, similesq; voces provocemus, quis in suspitione suâ non roborabitur, quando has argumentationes à genere ad speciem affirmativè procedere, ut Philosophi loquuntur, in animum revocabit? Tertio cum verba vocesque nonnisi ex usu valeant, & verò sacrificium propitiatorium communi perpetuoque Scripturæ usu tale sacrificium audientis intellectui insinuet, quod pro peccato satisfaciât & ex ipso offerentis

A 2

actu

(c.) I. Cor. XI. 20. f.



actu veniam promereatur, fieri nequit, quin cum Missaticum sacrificium propitiatorium appellatur pro peccatis vivorum & mortuorum, tale quoque sacrificium intelligatur. Nec enim aliter intelligi volumus, quam loquimur, & ideò loquimur, ut intelligamur, nec aliter loquimur, quam communi usu receptum est, quia, si aliter loqueremur, audientem utique, cum quo loquimur, decepturi essemus. Unde non licet novas nobis, nisi studio fallere velimus, vocabulis indere significationes, quippe quarum vim, qui easdem vel audit vel legit, non percipit, sed usitatae eorundem notioni ordinariè adhæret. Propitiatorii verò sacrificii vox nunquam sive in sacris sive apud profanos scriptores aliâ notione legitur, quam eâ, quâ victima in locum criminis, ab homine perpetrati, succedit & pro pœnâ crimine promeritâ morte suâ satisfacit, offerentemque ab eadem liberat. Quartò si dicatur Eucharistia alius generis esse ab hoc ordinario & quotidiano significato sacrificium, ultrò patet, id invictis ex revelato verbo argumentis docendum esse. Nec enim proprio arbitrio à regulâ & ordine deviare debeo & vel exceptiones vel vocum significationes, vulgò inusitatas, fingere & Ecclesiæ obtrudere, sed magistri nostri in sacris summi vestigia unicè legere, inq; ejus præscripto & voluntate acquiescere. Quo verò indicio colligere aut deprehendere queo, voluisse Christum, ut in Eucharistiâ corpus sanguinemque suum sacrificiali actu offeram, DEumque per id pro peccatis meis mihi propitium reddam? Cum nec oblationis, nec immolationis, nec victimæ, nec hostiæ, nec sacrificii, nec propitiationis, nec expiationis, in hoc Sacramento faciendæ, ullo vel verbo vel signo quolibet alio fiat mentio, nec tale quid vel longis verborum consequentiis indigitare voluisse Christum, ullus homo, verba institutionis legens, dum ratione prudenter utitur, deprehendere possit. Quis verò non credat, si aliud proponere Christus sacrificium, aut alius certè generis modique, quam quale ubique alias in Scripturâ de-

de-



describitur, illudq; Ecclesiæ suæ tanquam præcipuam Divini cultus partem & in quâ fastigium totius religionis Christianæ consisteret, commendare voluisset, id iis facturum fuisse verbis, quæ dubium in re tanti momenti omne eximerent, quidq; iis vellet, omnes intelligere possent? Quintò deniq;, quam absurdum sit, sacrificium unum reale, ejusque valorem, per alterum, idq; imaginarium & repræsentativum, tanquam per instrumentum, applicari, suo loco ostendimus. (d.) Quemadmodum à ratione omni alienum est, nativitatem unam realem per aliam repræsentativam & passionem realem per commemorativam quidem, tamen veram proprièque dictam, applicari.

IV. Nunc quo pacto propitiatorio suo sacrificio fidem faciat *Dezius*, dispiciendum nobis est. Ita vero ille: *Desiderant Catholici, ut ipsis concedatur, sacrificium altaris verè propitiatorium esse, quia DEUM nobis reddit propitium, non tanquam causa meritoria redemptionis generis humani, remissionis peccatorum, omniumque illorum, quæ DEUS nobis impertit, subsidiorum; hoc enim sensu solum crucis sacrificium propitiatorium est; sed tanquam unum illorum mediolorum & instrumentorum, quæ Christus instituit, ad merita mortis suæ nobis applicanda, dum nobis Spiritum pœnitentiæ & compunctionis, reliquaque dona omnia, quibus opus habemus, quæque in cruce nobis promeruit, acquisivit. Nam primò verba christi disertè expressa sunt: hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Matth. XXVI. 28. Secundò, omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, inquit Paulus, Hebr. V. 1. in iis, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Præcipuum hoc est sacerdotis officium. Jam verò habemus in Ecclesiâ sacerdotium & sacrificium. Certum igitur est, quod principaliter hoc inserviat ad impetrandam peccatorum remissionem. Tertio Hiob sacrificia obtulit pro peccatis filiorum suorum, Job. I. 5. sacerdotes V. T.*

A 3

offers.

(d.) Propos. I, §. XXX.



offerebant pro peccatis populi, Lev. IV. s. 6. ut tamen per id nihil derogarent magno crucis sacrificio, quippe quod non nisi applicabant. Possumus igitur fortiori ratione sacrificium altaris pro peccatis nostris offerre, quippe quod perfectius representat sacrificium crucis, quam reliqua sacrificia vetera omnia. S. Augustinus, Qu. LVII. in Levit. asserit: in multis sacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc nostrum sacrificium significatur, in quo vera sit remissio peccatorum. Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ait S. Cyrillus, Catech. Mystag. V. ut & nobis & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus. Ubi vocat Eucharistiam hostiam propitiatoriam. Offert Christus seipsum quasi sacerdos, ait S. Ambrosius, Lib. I. de Offic. c. XLIIIX. ut peccata nostra dimittat. De Eucharistia loquens. Si laicis imperatur, porrò scribit Hieronymus, Comment. ad cap. I. Epist. ad Tit. ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas DEO oblaturus est victimas. (e.)

V. Primò sententiam suam proponit Dezius, deinde argumentis eandem corroborat. Sententia est: Missam esse sacrificium propitiatorium, non sensu meritorio & satisfactorio, sed instrumentaliter & applicativè. Atque hac ratione telum istud declinatum esse putat, quod vulgò à Lutheranis, ex oppositione sacrificii unici & tamen sæpius repetiti in Missam Pontificiam magnâ specie intorquetur: Christum nempe juxta Paulum semel tantum esse oblatum, semelque tantum propitiasse peccata nostra, & Christum tamen in Missâ quotidie offerri & frequentissimè propitiare peccata nostra. Dicendo scilicet: Christum semel esse oblatum, & propitiasse peccata nostra satisfaciendo & remissionem peccatorum promerendo, quotidie verò offerri & propitiare peccata remissionem peccatorum nobis illo medio applicando. Sed verò hujus responsionis virtus, si quæ præcedente paragrapho monuimus, in animum revocentur, ultrò

(e.) Vereinig. ad III. Art. Ab. p. 395. La Reun. p. 390.



trò collabascet. Primò enim supponit, dari tale aliquod sacrificium propitiatorio-applicatorium, à meritorio & satisfactorio distinctum, quod nec ullis quidem ad speciem argumentis poterit probari. Quæcunq; enim unquam fuere sacrificia propitiatoria, ea pro peccatis commissis Leviticè satisfaciebant & remissionem poenarum, lege dictatarum, promerebantur. Igitur si Missa aliud generis sacrificium est & alio modo propitiat, novus hic & antea inauditus modus irrefragabili argumentorum pondere demonstrandus, non nudâ voluntatis nostræ significatione afferendus est. Jam verò ne syllaba ulla ex ullo Scripturæ loco, omnium minimè ex institutionis verbis, (quæ tamen, si tale sacrificium propitiatorium daretur, illud complecti ante omnia deberent, cum frustra fingatur sacrificium, quod nullibi ostendi potest institutum) produci potest, quæ talis generis modique sacrificium propitiatorium homini, præ iudiciis non occupato, probabile reddere possit. Deinde immota est argumentatio, nec ullâ vi elidenda: si dari potest sacrificium propitiatorium, unum idemq;, quod uno modo sanguinem reapse, altero in imagine fundat, ut priori modo propitiationem mereatur, altero applicet, utroq; tamen vere proprièq; fit sacrificium propitiatorium, tum ob eandem prorsus rationem dari poterit mors propitiatoria, una eademque, quæ uno modo reapse, altero in imagine animam à corpore divellat, ut priori modo propitiationem mereatur, altero applicet, utroque tamen verè proprièq; fit mors propitiatoria. Quid dicemus ad hanc argumentationem? Erit utique aliqua nobis adducenda ratio, quæ mihi persvadeat, fieri posse, ut sacrificium dicatur & idem dicatur propitiatorium & utroque quidem modo verè proprièq; ubi reapse sanguis non funditur, sed in imagine tantum, & mors tamen non dici possit propitiatoria, idque verè proprièq; ubi anima à corpore non dissolvitur reapse, sed in imagine tantum. Annè id forte ideò fit, quod imaginaria illa san-

gvinis



gvinis à corpore divulsió alicubi in factis expressis verbis sacrificium, nunquam verò mors appellatur? Non puto. An quod mors de Christo difertè removetur, (e.) cum non removeatur sacrificium? At quo pacto mori hodie Christus negatur, eo negatur & se amplius offerre. (f.) Utrum quod non nobis tantum, sed & pro nobis in Evcharistiâ traditus dicitur Christus? At & pro nobis sanguinem dicitur fuisse. Sanguinis autem è corpore profusio, qualiscunq; illa sit, non minori nexu sacrificium, quam mortem infert. Anne quod consecratio, quæ in imagine corpus ab animâ separat, sacrificium vicinius attingit, quam mortem? Non potest hoc ullâ imaginatione comprehendi. Utrum quod aliud quid sit in repræsentatione illa sacrificii, quam mortis, quod sacrificari Christum in Evcharistiâ probet, non mori? Expectandum est, donec tale aliquid nominet *Dezius*, aut ejus loco quivis alius; nec enim, quid illud sit, ullâ nobis conjecturâ assequi licet.

VI. Veruntamen, inqvies, in promptu sunt argumenta & numero plura & pondere gravia, quæ Missam esse propitiatorium sacrificium solidissimè evincant. *Primò*, dicit *Dezius*, *verba Christi expressa sunt: hic est sanguis meus, pro multis effusus in remissionem peccatorum.* Non probat *Dezius*, quod probandum fuerat. Nec enim erat controversum, an sanguis Christi, in arâ crucis effusus, sacrificium sit pro peccatis expiatorium, quod nemo Lutheranorum inficiatur, sed an sanguis in sacrificio Missæ effusus? Quod si dixeris: in verbis institutionis non posse intelligi sanguinem in cruce effusum, quippe qui in cruce tum nondum fuerit effusus; diciq; præterea poculum sanguinis effusum, quod clarissimè monstret, loqui Christum de effusione sanguinis in cœnâ, non in cruce, quippe ubi non habuerit poculum; tum hanc subtilitatem superiori capite (g.) auctoritate clarissimorum in Ecclesiâ Rom. doctorum repressimus. *Largiamur*

(e.) Rom. VI. 9. (f.) Hebr. VI. 27. (g.) §. XV.



giamur verò, sangvinem in cœnâ effusum intelligi, sangvis erit, non in sacrificio, cujus nullum in ullo verbo vestigium apparet, sed in Sacramento effusus, eum in finem, ut Sacramentaliter bibi, non ut sacrificialiter possit offerri. Dicitur enim: *accipite, bibite*; non: *accipite, offerre, aut sacrificate; hoc est sangvis pro vobis effusus*. Atq; hic sangvis in Sacramento fide assumptus remissionem peccatorum verè impetrat. *Hunc enim in cœnâ acceptum*, ait in Examine Chemnitius *fides interponit inter peccata nostra & iram DEI, tanquam satisfactionem & propitiationem*. Nec denique aliter juxta *Dezium* effusus tum dici poterat sangvis, si in sacrificio esset effusus, nisi in imagine; ad sacrificium autem propriè dictum, & illud quidem propitiatorium, non imaginaria, sed vi omnium, quotquot unquam extiterunt, exemplorum vera & naturalis requiritur sangvinis effusio; juxta illud: *sine sangvinis effusione nulla fit remissio*. (h.) Qualem verò in Missâ non dari in confesso est.

VII. Deinde ex naturâ & indole ministerii Ecclesiastici probat *Dezius*, Missam esse sacrificium propitiatorium. Omnem quippe sacerdotem, dicente Apostolo, (i.) offerre sacrificia pro peccatis. Quosdam verò Ecclesiæ ministros in N. T. esse sacerdotes. Ex quo sequatur, sacerdotium principaliter inservire ad impetrandam per sacrificia peccatorum remissionem. Equidem miraculo simile est, ministerium Ecclesiæ in N. T. juxta Rom. Ecclesiam esse sacerdotium & officium ejus principaliter in offerendo sacrificia & per sacrificia DEum propitiando consistere, nec vel semel, fatente R. *Bellarmino*, (k.) ministros N. T. qui tamen nobilior longè habent sacrificium & adeò nobiliori funguntur sacerdotio, vocari, quod in V. T. ubi ignobiliora omnia fuerunt, infinities factum est, sacerdotes, nec unquam ullius, nisi figurati illius, quod omnibus Christianis commune est, sacrificii, omnium minimè propitiatorii

(h.) Hebr. IX. 22. (i.) Hebr. V. 1. (k.) I. de Miss. c. XVII. §. Porro.



rū fieri, vel aliquo vestigio, mentionem. In loco verò Paulino adducto soli memorantur summi V. T. sacerdotes, iisque in offerendo non comparantur sacerdotes N. T. sed unus summus Pontifex, Christus JESUS, & in eo quidem, quod ut illi obtulerunt dona & sacrificia pro peccatis: ita & Christus in diebus carnis *obtulerit semetipsum ὡς θυσίαν, donum & ἱκανόν, sacrificium propitiatorium, DEO in odorem suavitatis.* (l.) Nullatenus verò in eo, ut sicut illi frequenter & quotidie offerebant, ita & Christus *sæpius offerret*, quippe qui in hoc ipso à V. T. sacerdotibus distinguitur, quod ipse *semel tantum per suummet sacrificium apparuerit, ad omnium hominum delenda peccata.* (m.) De alio verò N. T. sacerdotio, sive principaliter sive minori dignitate in sacrificando pro peccatis consistente, cum nec verbum memorat Scriptura, non diffitentibus ipsismet Rom. Ecclesiæ scriptoribus, quâ vi, immò quâ specie ex Pauli effato, de solis V. T. sacerdotibus loquente, pro sacrificio propitiatorio, ministerio N. T. annexo, potest concludi?

IIIX. Ad tertium jam confugit argumentum pro sacrificio Missæ propitiatorio *Dezius*, quod ex sacrificiis V. T. pro peccato oblatis depromitur atque hunc in modum concludit: si fideles V. T. non derogarunt magno crucis sacrificio, dum sacrificiis umbraticè tantum sacrificium crucis Christi repræsentantibus hoc ipsum sacrificium sibi applicarunt, tum multò magis fideles N. T. sacrificium altaris ad applicandum sibi sacrificium crucis Christi offerre poterunt, quippe quod perfectius hoc ipsum crucis sacrificium repræsentat. Cum in præsentis argumento varia involvantur, quæ intellectum pariter ipsius & nexum non parum obscurant, eorum anatome atque dissolutio, quid de ipso judicandum sit, luculentius ostendet. I. Falsum est, fideles V. T. virtutem sacrificii Christi sacrificiis suis propitiatoriis sibi applicasse. Proprius illorum sacrificiorum & inter-

(l.) Eph. V. 2. (m.) Hebr. VII. 27. IX, 26. 28. X. 14.



internus finis purificatio erat Levitica, non applicatio meriti Christi, quod supra Propositione secundâ clarissimè comprobavimus. (n.) Erat tamen his sacrificiis connexus extrinsecè, non innexus eorundem naturæ, fidei ad Christum respectus, qui nihil aliud erat, quam fiducialis futuri sacrificii Christi apprehensio, quâ unicâ, non verò actione sacrificiali, DEum sibi propitium reddebant. Planè ad eum modum, quo Epistola ad Hebræos & Noam fide præparasse arcam & fide Abrahamum paruisse vocationi & fide concepisse intra uterum Saram & fide Israëlitas transiisse per mare & fide alios admiranda quævis vel patrasse vel tolerasse recenset, ut tamen patriarchæ illi non per istæc opera, tanquam per media & instrumenta, sed unicè per fidem, iisdem extrinsecè connexam, gratiam sibi Divinam & spem salutis æternæ applicaverint. (o.) At Rom. Ecclesia virtutem sacrificii Christi non per fidem, Missatico sacrificio conjunctam, sed per sacrificialem actionem ipsam, tanquam per opus operatum, homini sacrificium offerenti, applicari contendit. II. Supponit *Dezii* argumentum, sacrificium altaris veri nominis propriequè dictum sacrificium esse; quod quantum à veritate absit, suo loco abunde demonstravimus. III. Nec comparatio ista perfectioris & imperfectioris sacrificii crucis repræsentationis meliori veritate nititur. Perfectius enim violenta animalis mactatio & naturalis sanguinis effusio mortem Christi, vi ipsi illatam & sanguinis è perfosso corpore manantis effusionem oculis repræsentat, quam panis & vini separata in altari collocatio. Hanc enim corporis sanguinisque divisionem & adeò mortem Christi violentam depingere & coràm oculis sistere, nemo, nisi eâ de re admonitus, cognoverit. Umbra utraqve, utraqve imaginaria est mortis Christi repræsentatio, illa tamen omnium, ratione vel perfunctoriè utentium, iudicio quam hæc clarior. Tot igitur modis

B 2

cum

(n.) §. XXXI. (o.) Hebr. XI. 7. f.



cum collectio illa Deziana vacillet, quid fidei conclusio ipsa mereatur, ultrò enitescit.

IX. Postremò ad patres nonnullos provocat *Dezius*. Sequitur eâ in re integra scriptorum suæ Ecclesiæ agmina. *Stanisl. Hosius*, Romanæ Ecclesiæ superiore seculo Cardinalis, causatur, summum esse patrum consensum: Missam esse sacrificium propitiatorium, eundemque meritò pro ipso *DEI ore habendum*. (p.) *Fr. Costerus & R. Bellarminus* consentiens hoc totius antiquæ Ecclesiæ testimonium, ab iis tantum contemni decernunt, quos *superbia fumus omninò excæcaverit* (q.) *Jac. Malenius*, è societate Jesu, ex hoc solo argumento frontem Lutheranorum audaciamque, tanta veteris Ecclesiæ confessioni & auctoritati adversantium, posse cognosci, declamat. (r) Et quidem veteris Ecclesiæ patres, quamquam plurimum distent ab hodiernæ Romæ placitis, tamen non omninò excusandos esse, eò quod oblationem corporis sanguinisque Christi in Evcharistiâ præcipuè commendent, quod ab interiore Christi instituto sit alienum, è Reformatis *Jo. Calvinus*, (s.) è nostris *Urb. Regius*, jam olim censuere. (t.) Nec immeritò & alii illud *Cypriani*, Martyris, *Cœcilio* tam sollicitè inculcatum, quamquam à semet ipso non adeò observatum sollicitè: *in sacrificio, quod Christus obtulit, si non nisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit & quod faciendum esse mandavit. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaveris, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed DEI veritatem*; (u.) in hoc argumento, ab instituto & voluntate Christi in solidum pendente, sequendum esse svaferunt, donec

(p.) De verb. D. Opp. f. 64. f. 1. (q.) In Enchir. p. 341. Lib. I. de Miss. c. XXIII. (r.) Med. Conc. Part. III. p. 295. (s.) De ver. Eccl. Ref. Rat. p. 158. (t.) Part. II. Opp. f. XL, f. 2. (u.) Ep. juxta Pam. & Joh. Ox. LXIII. p. 154.

IX. ad H. (o) XXX. 2. (o)



nec invictis argumentis propitiatorium quoddam sacrificium ex ipsis Christi verbis, quibus solis in re tanti momenti innitatur, fuerit comprobatum. Interea & illud indubitatum est, in describenda sacrificii propitiatorii ratione longissimo intervallo veteres à recentioribus distare, verumque illud esse, quod olim *G. Wicelio*, antiquitatis vestigia pro sacrificio illo curiosè conquirenti, obvertit immortalis noster *Chemnitius*, Romanæ partis Theologos, si recentiorum consuetudinum vix umbra apud veteres compareat, statim attexere conclusionem, multis parafangis ampliore, quam sit præmissa probatio. (x.) Qualis verò ille consensus est patrum in adstruendo propitiatorio, vero, proprieque dicto, Missæ sacrificio, cum dicente *Gabr. Vasquezio*, Thomas S. doctor, ceterisque scholastici, pauca de hoc incruento sacrificio dixerint, (y.) quia nimirum pauca de eo apud antiquos invenerunt? Ipse Thomas, quamquam cum veteribus sacrificii crucis, ejusque in Sacramento memoratæ, faciat mentionem, illud tamen non *vere* tantum immolationi aperte contradistinguit, (z.) eò quod *juxta Augustinum ad Simplicium* soleant imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt; sicut cum intuentes tabulam aut parietem pictum dicimus: ille Cicero est & ille Sallustius; (ut igitur Cicero pictus verè & propriè non est Cicero, sed Ciceronem tantum, ut umbra, repræsentat: ita & sacrificium Eucharisticum secundum Augustinum, at quantum antiquitatis magistrum! non est verè proprieque sacrificium, sed corpus tantum sanguinemque Christi, quæ aliquando verum fuerant sacrificium, ut aliquando in mortem traditum & pro nobis effusum, ceu umbra & imago, repræsentant) sed etiam immolationem consecratione, quæ verò hodie ipsam actus sacrificialis formam constituit, facit posteriorem. (a.) Quâ de

B 3

re

(x.) In Exam. C. T. De Miss. p. 333. (y.) Tom. III. in Tert. Disp. CCXX. Q. LXXXIII. Art. I. (z.) Part. III, Q. LXXXIII. Art. I. §. Respondeo, (a.) Loc. all. Art. III, Resp. I.



re discordantes posteriorum doctorum conciliationes enarrat nostras *D. Dorſcheus*. (b.) Nobis verò uno ſpecimine ſufficit demonſtrare, quam ſvaviter veteres cum recentioribus in ſacrificio incruento conſpirent & qualis quantuſve ille ſit cum iisdem, quam hodie jaçant, conſenſus.

X. Speciatim *Augustinus* ex *Qvæſtionibus* in *Leviticum* adducitur. De quo libro ita *Bellarminus*: *non eſt Augustini, nec alicujus catholici, ſed hominis heretici, qui multa docet & contra fidem & contra Augustinum*. (b.) Cum quo conſentiunt *Elpencæus*, *Lovanienses*, *Alphonſus de Caſtro*, *Maldonatus*, *Salmero*, *Azorius*, *Lenſæus*, *Pererius*, *Erasmus* (noviſſimè & *Natalis Alexander*, adductis innumeris rationibus,) (c.) & quis non? apud *R. Cocum*. (d.) *Qvæ* igitur audacia eſt, ſub tam foedo nomine obvertere nobis *Ecclēſiæ* doctorem, quo non eſt illuſtrior alter? *Qvam*quam hic ipſe perſonatus *Augustinus* de ſacrificio *Chriſti* cruento in verbis nobis oppoſitis loqvatur, à cuius ſanguine, ut verba illicò ſequentia habent, non offerendo in ſacrificium, ſed in alimentum ſumendo, non ſolum, nemo prohibetur, ſed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam. De *Cyrillo Hieroſolymitano* ſupra oſtendimus, *Catecheſes* ejus, præcipuè *Myſtagogicas*, extra *roſeas*, ſaltem interpolationis, ſuſpicionem nunquam fuiſſe. (e.) Et quamquam *Natalis Alexander* *A. Riveti* rationes, eam in rem adductas, diſſolvere magno conatu adlaboraverit, (f.) facile tamen probatu eſſet, non ob diſſimiles ipſummet *Alexandrum* ex genuinorum numero eos eieciffe ſcriptores, qui ſuæmet *Ecclēſiæ* *Theologiſ*, *Elpenſæo*, *Baronio*, *Launoio*, aliisqve probabantur. Sed id nobis agendum nunc non eſt; nec enim unquam negavimus, in *S. Evchariſtiâ* *Patres* & ſacrificium & oblationem, etiam ad exceſſum uſqve, prædicare.

(b.) In *Thom. Conf.* p. 269. ſ. (b.) II. de *Eff. Sacr.* X. §. *Reſpondeo primò*.

(c.) *Sec.* V. p. 109. (d.) In *Cenſ. Scr. Vet.* p. 345. ſ. (e.) *Cap.* VII. §.

*XIIIX.* (f.) *Sec.* IV. c. VI. art. XII. p. 119. ſ.



dicare. Hoc tantum inficiamur, sacrificium eos verum, proprieque dictum, intelligere. Hoc enim si agnoscerent, cur in imagine Christum, cur in picturâ tantum, quod juxta Thomam veræ immolationi opponitur, in S. Cœnâ immolari dicerent, eo modo, quo, ut alibi *Augustinus* loquitur, (g.) resurgere dicitur in Paschate, quando imago resurrectionis ipsius & commemoratio intellectui nostro representatur? Adeò ut hodie sacerdos, S. Evcharistiam conficiens, juxta *Chrysostomum*, *magis recordationem sacrificii operetur*, quam ut sacrificet ipse? (h.) Quod de testimoniis nobis objectis ex *Cyrillo*, *Ambrosio* & *Hieronimo* eo verius est, quo magis disertè *Ambrosius*, eo ipso, qui adducitur, loco, *in imagine offerri Christum, QVASI recipientem passionem*, profitetur. Si verè & propriè offertur, quomodo in imagine? Si verè immolatur, quomodo *quasi* recipit passionem? Nempe juxta veteres patres nominatim juxta *Cyrillum*, Hierosolymitanorum Episcopum, *Christum, pro nostris peccatis in cruce mactatum*, in S. cœnâ, ore quidem edendo ipsius carnem & bibendo ejus sanguinem, accipimus, sed acceptum simul fidei nostræ devotione DEO patri offerimus; aut, quod *Ambrosio* dicente idem est, ipse *Christus*, in Evcharistiâ à nobis Sacramentaliter acceptus, Patri se suo offert; aut deniq; sacerdos nomine totius Ecclesiæ eundem DEO in precibus suis communioni præmissis, *Hieronimo* dicente, offert, rogatque, *ut ejus merito & intercessione nobis propitius esse & peccata nobis nostra remittere velit*. Quis enim ignorat, hominem fidelem, ad S. Cœnam accedentem, accepto corpore Christi ita intra sese precari: nunc, ô optime Servator, tuam ipsiusmet carnem, quam pro me in mortem crucis dedisti, accipio. Hanc Patri tuo flagrantissimâ  
mentis

(g.) Epist. XXIII. ad Bonif. (h.) Homil. XVII. ad Hebr. Locum nobis suggestit Formula Conc. p. 879. Ubi ad marginem notatur citato etiam alio *Ambrosii*, si tamen *Ambrosii* est, loco: *nota contra Pontificium sacrificium propitiatorium Misse.*



mentis meæ devotione reddo & offero, ut propter te propterq; passionis tuæ sacrificium propitius mihi sit & delicta mihi mea condonet. Ideò igitur, quod in sacratissimo hoc epulo id accipimus, quod olim verissimum sacrificium fuerat, & quod hoc ipsum, quod accipimus, devotæ mentis oratione atqve commemoratione, quæ verissimum in Spiritu sacrificium est, (i.) DEO offerimus & hunc quidem in finem, ut peccatoribus nobis propitius sit, meritò sacramentum hoc sacrificium appellatum fuit. Non verò ideò hac nomenclaturâ illud dignati fuerunt patres, quia pro sacrificio vero proprieqve dicto, sacrificii voce *non pro re permanente, sed pro actione* acceptâ, ut loquitur ipse *Bellarminus*, (k.) illud habuerunt, non quod propriè verèqve immolari in Evcharistiâ Christum, non quod imaginem aliquam mortis Christi realem in administratione Cœnæ repræsentari & ideò in sacrificium aliquod imaginarium quidem, verum tamen proprieq; dictum, à Christo ipso constitutum esse crediderunt. Nihil horum (in quibus tamen hodie ipsa sacrificii Missæ propitiatorii essentia consistere docetur) antiquis patribus in mentem venisse, ullo solido argumento probari potest. Et quousqve hæc de patribus non probantur, frustra ad illos tam gloriosâ confidentiâ provocatur. E contrario non defuisse ex ipsis Romanæ Ecclesiæ doctoribus, qui hanc veritatem agnoverint, à nostris jamdiu ostensum est. Synodus Provincialis Coloniensis, sexto post exhibitam Aug. Confessionem anno celebrata, de Evcharistiâ hunc in modum profitetur: *immolamus hostiam pro vivis & defunctis, DUM pro illis Patrem per Filii mortem deprecamur.* (l.) Iisdem omninò verbis *Erasmus* utitur, nisi quod pro: *deprecamur*, ponat: *obtestamur.* (m.) Theologi Pontificii in Colloquio Ratisbonæ habito, anno MDXLI. *Christus in Missâ totius Ecclesiæ nomine representativo sacrificio DEO Patri immolatur.*

(i.) Psalm. CXLI. 2. Apoc. IIX. 3. 4. (k.) II. de Miss. IV. §. Secundum est.

(l.) Part. VII. c. XXVII. (m.) Lib. de amab. Eccl. conc. p. 114.



*latur. Quod certè fit, cum Ecclesia illum, ejusq; verum corpus & sanguinem DEO Patri pro totius mundi peccatis PIA PRECE sistit. (n.)* Ecce, ergo precibus offertur in Evcharistiâ Christus, non actione sacrificiali. Fusius hæc persequitur in exquisito libello, quem *de Pbrasibus veterum Ecclesia doctorum* inscripsit, celebris quondam Academiae Juliae Theologus, *D. Gerb. Titius*, ubi &, quæcunq; excipi poterant, elisit. (o.)

XI. Postquam probare sibi visus est *Dezius*, Missam esse sacrificium propitiatorium, nunc ad eos progreditur, quorum peccata propitiare illud dicitur, vivos nempe mortuosque. *Postulant Catholici, inquit, ut concedatur ipsis, sacrificium altaris sensu modo explicato, verè propitiatorium esse, pro vivis mortuisq;.* Ut enim conventum fuit, propitiatorium illud esse: ita non dubitatur, pro vivis tale esse, dum nimirum ad minimum poenas temporales minuit, peccatis, etiam remissis, debitas; ne quid dicatur de gratiæ donis aliisque beneficiis, quæ illis per virtutem, quam habet, impetrandi procurat. Verum & porro adjicitur, quod etiam offerri possit pro mortuis. *Cura-bat Judas Maccabaus, ut offerrentur sacrificia pro iis suorum militum, qui mortui fuerant in prælio; & Scriptura, quam Ecclesia jam inde ab Augustini tempore pro canonicâ agnovit, pietatem laudat magni istius ducis.* Quidni igitur & offerri posset sacrificium altaris incruentum pro Christianis in gratiâ DEI defunctis? De traditione hac in re utringq; consentitur & S. Chrysostomus eandem ab Apostolis descendere affirmat.

XII. Duo hic agit *Dezius*; primò exponit, quid propitiando impetret hoc sacrificium. Deinde quod & pro mortuis offerri possit, quadruplici argumentorum genere probat. Primum Scripturæ exemplum, secundum antiqua traditio, tertium consensus Lutheranorum, quartum patrum testimonium eidem suppeditat. Quoad primum consensum in eo esse ait, quod hoc sacrificium sit propitiatorium.

(n.) Vid. Acta Coll. à Bucero edita, a. 1542. Argentorati. p. 43. (o.) Cap. XIV, p. 143. f.



um. Quomodo verò rogo Te, Dezi, consensus est, cum sit postulatum? Itane illicò consentire præsumimur, cum quidpiam à nobis, ut consentiamus, flagitatur? Aut ubi Lutherani unquam concesserunt, Missam esse sacrificium propriè dictum? Ubi, sacrificium propitiatorium? Quod verò neq; sacrificium est, neq; propitiatorium est, quomodo pro vivis propitiatorium esse potest? Ignorant Lutherani sacrificium, quod pœnas peccatorum minuat temporales. Ignorant pœnas temporales, peccatis, etiam à DEO remissis, debitas. Si remissa sunt peccata, quomodo manent pœnæ? Quomodo relocatorum uno remoto perduret alterum? Aut quí sublatâ causâ non tollatur effectus? Et quia Lutherani sacrificium in Evcharistiâ ignorant, quia idem ignorat Scriptura, virtutem quoque ejus, gratiam Divinam dispensandi, ignorant. Ignorant autem, quia noverunt, ejus, quod non est, nulla esse prædicata, atque adeò neque vim ullam aut ullam virtutem.

XIII. Sed de argumentis nobis potius dispiciendum est, quibus pro mortuis offerri Missæ sacrificium, nititur comprobare. Frontem occupat Judæ Maccabæi exemplum. Nec enim Scripturam, cum Lutheranis disputans, silentio præterire poterat, in quâ tamen præter hoc Judæ factum nihil legitur quicquam. Id quod jam supra non immeritò admirati sumus, tanti momenti rem esse sacrificium hoc Missæ propitiatorium, ut eminentiâ & majestatem suâ omnia alia religionis Christianæ mysteria transcendat & ipsum intimum fidei nostræ & procurandæ salutis nervum occupet, nec tamen vel ullâ clarâ literâ, non diffidentibus ipsis Romanæ Ecclesiæ Scriptoribus, legatur institutum, vel virtus ejus ad veterum sacrificiorum morem, quæ propitiatoriorum nomen gesserant, prædicata. Non latuerat *Dezium*, Maccabæorum libros integris quatuor à nato Christo seculis è canone exulasse. Unde ne omnis iis periret antiquitas, ab Augustini ætate ad nostra usq; tempora, ut putat, agnitam ipso-



ipforum, eamq; canonicam, auctoritatem derivat. Sed verò patieris, *Dezi*, eâ de re tecum paulò curatius differere. Nosti, aliquando Augustinum Maccabæorum libros in cano- nem referre. (p.) Sed cum id ideò tantum faciat, *quia mar- tyrum quorundam in iis passiones recenseantur*, ad imitandam nempe eorum in fide constantiam, ut illicò semet explicat ipse, non verò, *quod ad Ecclesiasticorum dogmatum valeant auctoritatem, cum eos Ecclesia legat quidem, sed inter canonicas Scripturas non recipiat*, ut de his ipsis Maccabæorum libris loquitur Hieronymus; (q.) præterea alibi Augustinus teste- tur, hos libros *receptos esse ab Ecclesiâ non inutiliter, si sobrie legantur & audiantur*, (r.) quod de libris indubitato Divinis non satis reverenter diceretur, haud difficulter judicabis, canonicorum librorum vocem Augustinum primo loco ge- neralius accepisse, pro libris, in Ecclesiâ ad ædificationem morum legi solitis, opponiqve tantum iis Apocryphis, qui *δοκρυφῆς μάλλον ἢ ἀναγιώσεως ἄξιοι*, *digni magis sunt, ut abscondantur, quam ut legantur*, nedum ut ad ædificationem legantur, ut loquitur sub finem *συνόψεως* Athanasius; quâ de re solidè te edocere poterit noster *D. Calixtus*, (s.) in antiqvi- tatis nempe scriniis longè versatissimus; quam si nuper ad- huc vidisset *Alexander*, horum librorum auctoritatem ma- gno labore stabiliens, (t.) scopulos expertus esset, ingenio suo insuperabiles. Nec postea quoq; in aliquot Conciliis ali- ter acceptam vocem esse, cum Maccabæorum libros canoni videntur inseruisse, id argumento esse potest, quod apud e- undem *Calixtum* longâ serie posteriorum seculorum scripto- res eosdem passim ex vero canone usque ad Tridentinum Concilium audacter & nullo hominum contradicente expun- gunt. Vide igitur, quantâ veritate nitatur illud, quod asse- rere sustines: jam inde ab Augustini tempore agnitam esse

C 2

cano-

(p.) XII. De C. D. XXXVI. (q.) Præf. in Libr. Salom. (r.) II, contr. Ep. Gaud. c. XXII. (s.) De num. LL. Can. §. L. f. (t.) In Hist. Eccl. V. T. p. 391. f. recent. edit.



canonicam Maccabaicorum librorum auctoritatem ! Jam ponamus in canone esse libros illos, ponamusque, veram esse illam de Judâ historiam, quæ ista est colligendi justitia : si Judas obtulit sacrificia pro iis, qui in acie ceciderant, ergo & sacrificium altaris hodie offerri potest pro mortuis ? Si in V. T. animalium sacrificio cultus est DEUS : ergo & in N. T. eodem pacto est colendus ! Si in V. T. propitiatus est DEUS bouum sanguine : ergo & in N. eodem sanguine propitiari potest ! Si in V. T. propitius est redditus Abrahamo per circumcisionem : & in N. T. ad propitium DEO nobis reddendum circumcidi possimus Christiani, circumcisione verisimâ, proprieque dictâ ? Anne quicquid in V. T. fuit, id est & in N. T. ? Quicquid ibi licuit & vim habuit gratiæ conferendæ, id & hodie licet & eâdem gaudet virtute ? Verissima hæc universa fuerint necesse est, si justa est, quam necit *Dezius*, consequentia. Quod si in quibusdam tantum procedit ista colligendi ratio, à particulari inferet, quod est vitium ex Logicis notum. Si dixerit, id tantum se velle : si juvari de mortui in V. T. potuerint, non absurdum esse, posse & in novotum regeritur, ergo non concludi id, quod ipse disertis verbis concludit : *igitur & offerri potest sacrificium altaris incruentum pro Christianis, in gratiâ DEI defunctis.* Nec enim quæritur : an juvari mortui possint, in infelicitate constituti, sed an sacrificium pro iis offerri, ad peccatorum etiam post mortem remissionem impetrandam ? Prius illud si auctori vel excerptori potius librorum Maccabaicorum *sancta & pia cogitatio* visa fuit, (u.) linquamus hunc errorem homini, imperitiæ suæ. (quod nunquam facit aut facere potest Spiritus S.) veniam roganti, (x.) nos verò è verbo Divino informati sciamus, omnem hominem vel in fide decedere, & tum auxilio nostro, quia à momento sui discessus habet vitam æternam, (y.) non indigere, vel in infidelitate & mortalibus peccatis,

(u.) II. Macc. XII. 46. (x.) II. Macc. XV. 39. (y.) Joh. III, 16. Apoc. XIV. 13. in



in quibus mortui utique fuerant milites Maccabaici, (z.) & tum opem ei à nobis, quia iam iudicatus est, (a.) præstari nullis sacrificiis posse.

XIV. Secunda *Dezii* ratio, quâ adstruit, Missas pro defunctis rectè celebrari, adeoque sacrificia pro peccatis mortuorum propitiatoria esse, breviori negotio refellitur. Provocat nempe ad traditionem, ab Apostolis manantem, eamque ex utraque de hoc argumento contendentium parte, ut ait pro more suo, ἐξαγώνιον. Quippe S. Chrysostrum disertè testari, morem pro defunctis offerendi ab Apostolis profuere. Cur verò non universæ antiquitatis testimonium, majori longè valore causæ suæ subsidium laturum, quam unum Chrysostrum, Card. *Baronii* exemplo, allegat *Dezsius*? Ita enim ille: *Ecclesiastici tractatores, insignis nominis viri, unâ eademque consensione firmiter asseverant, ex Apostolicâ traditione sacrificia & alia pietatis opera offerri consuevisse pro defunctis.* (b.) Unâ, inquit, eademque consensione. Quam verò hic tantus consensus ubique hiet & vacillet & adeò in caducum inclinet parietem, consideratis singulorum scriptorum, etiam Chrysostrum nobis oppositi, verbis, peculiari exercitatione, quæ inter Anti-Baronianas secunda est, dilucidè demonstravit *D. Christianus Kortboltus*. Quem & nos in hoc ipso argumento jam supra, notatis potioribus hujus rei momentis, laudavimus, (c.) & alibi totam hanc, quâ nos opprimere conantur, molem illustri planè & admirabili *Irenæi* exemplo destruximus. (d.) Si juxta Hieronymum unaquæque Christianorum provincia præcepta majorum suorum leges Apostolicas interpretatur, quid tandem non erit Apostolicum? Immò si omnes hæretici dogmata sua ad Divinam Scripturam, tanquam ad primum fontem suum referunt, quid non erit Divinum? Verum cramben, aliquoties recoctam, adponere non est æquum.

C 3

XV.

(z.) II Macc. XII. 40. (a.) Joh. III. 18. Luc. XVI. 25. 26. (b) Anno XXXIV. §. 313. f. (c.) Cap. IV. §. XIV. (d.) Cap. VI. §. V. Ut & §. XXIV. XXV.



XV. Accedimus ad fundamentum Dezianæ sententiæ tertium, quod in consensu Lutheranae confessionis quærit. *Si possunt preces institui pro defunctis, inquit, nec vivorum ipsis intercessio infructuosa est, ceu Protestantes confitentur, majori adhuc confidentiâ sacrificium pro ipsis offerri poterit.* Dixerant nempe Lutherani in Apologiâ A. C. (e.) non se patrocinari Aerio, orationes pro mortuis esse inutiles asserenti. Ex quo concludit *Dezius*, longè rectius dici ipsum sacrificium pro iisdem offerri. Sed verò, quod ex Lutheranorum doctrinâ ne est quidem, quomodo rectius potest dici offerri? Utrû non entis, ut loquuntur Philosophi, possunt dari accidentia? Quod si quis Dezio hanc adferret argumentationem: si oratio pro mortuis non est inutilis, multò rectius vel ovis vel bos pro iisdem poterit offerri; responsurus citra dubium foret, absurdam esse sequelam, cum bovilla sacrificia in N. T. sint abrogata, neque locum habere amplius queant. Cur igitur non videt, & à nobis pariter regeri posse: sacrificia in univèrsam, quæ ita propriè dicantur, in N. T. sublata esse, quia eidem non nisi unum fuerit destinatum, (d.) neque post sacrificium Christi, in cruce peractû, *ulla nobis supersit veri nominis hostia pro peccato, deoque nec incruenta?* (e.) Quod si alii post Christum sacrificio in N. T. locus esset, tamen consequentia nutaret ideò, quod plurimi sint modi, quibus utilis esse oratio pro mortuis potest, quos supra suo loco ex ipsis antiquorum scriniis longo ordine excussimus, quorum nullus tamen propitiatorius est pro peccato. (f.) Id autem si verum est, quo jure ab unâ specie utilitatis ad alteram, aut à genere, quod est utilitas, ad speciem, quæ est propitiatio pro peccatis, sine vitio, in principia Logica impingente, potest concludi? Et si ipsam, quæ per propitiationem nobis obtingit, utilitatem respiciamus, denudò vitiosè, & eodem quidem vitii genere, colligitur: preces propitiant, impetrando à DEO ex gratiâ, ob promissionem

(e.) p. 275. (d.) Hebr. IX. 26. 28. (e.) Hebr. X. 26. Ad quem locum v. D. Seb. Schmid. Comm. in h. l. p. 1098. (f.) C. IV. §. XX.



iisdem factam, si fiant in fide ab iis, qui DEO reconciliati sunt, relaxationem pœnarum temporalium laxius dictarum, aqve DEO nonnunquam peccantibus, ut vel ipsi peccata eò severius fugere discant, vel alii ipsorum exemplo à peccando deterreantur, ex DEI non justitiâ, sed bonitate liberè destinatarum; ergo sacrificium Eucharistiæ longè magis propitiat & quidem sacrificiali ratione, pro pœnâ propriè dictâ, peccato debitâ, neqve adhuc dum à DEO remissâ, satisfaciendo, & ut pœna, per hanc sacrificialem actionem tollatur, per ipsam sacrificii oblationem promerendo. *Sacrificium enim, dicente Catechismo Tridentino, non merendi solum, sed etiam satisfaciendi efficientiam continet. Nam uti Christus in passione suâ pro nobis meruit & satisfecit, sic qui hoc sacrificium offerunt, quo nobis communicantur Dominicae passionis fructus, merentur & satisfaciunt.* (g.)

XVI. Postremò non minus in hoc ac in præcedenti postulato ad Patres provocat *Dezius*, propitiatorio huic sacrificio calculum suum adponentes. Ita *Dezius*: *Abierit peccator, pergit Chrysostomus, decet niti, ut juvetur prece, eleemosynis, oblationibus. Non est temerè hoc excogitatum, addit, nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus pro istis agnum illum jacentem & peccata mundi tollentem deprecantes, sed ut bis consolatio binc aliqua sit: nec temerè qui altari assistit, inter horrenda mysteria clamat: pro omnibus in Christo dormientibus. Chrysostom. Hom. XLI in I. ad Corinth. Imus & redimus, ait S. Augustinus in descriptione funeris materni, sine lacrymis. Nam neq; in iis precibus, quas tibi fudimus, cum offerretur pro eâ sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solèt, nec in iis ego precibus flevi. August. Libr. IX. Confess. c. XIII. (Caput potius est XII.) Aeriani ab Aerio quodam sunt nominati, inquit porrò, qui cum esset presbyter, doluisse fertur quod Episcopus non potuit ordinari; & in Arianorum baren lapsus, propria quoque dogmata*

(g.) Q. LV. de S. Evch.



dogmata addidisse nonnulla, dicens, orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere. *Augustin. Lib. de Hares. Har. LIII. Et hac est quinquagesima tertia haresis. Fatemur nihilominus, magnum hoc sacrificium de mortuis non ad id prodesse, ut culpam peccatorum extingvat, sed ad id tantum, ut temporalis pœna remittatur aut mitigetur, quæ sæpe toleranda sunt exemplo sancti regis Davidis, postquam jam obtenta est remissio peccatorum.*

XVII. In memoriam hic nobis revocandum est, thesin, quam *Dezius* comprobare intendit, illam esse: Missa est sacrificium propitiatorium, pro defunctorum peccatis, eorumque pœnis temporalibus oblatum. Igitur I. planè suspectum est, non produci ullum locum potuisse, in quo disertis verbis & citra ambages Missæ sacrificium vocetur propitiatorium. *Augustinus* quidem alicubi de altaris sacrificio affirmat propitiationem esse. (h.) Notus est ex *Enchiridio* locus: *cum sacrificia sive altaris, sive quarumcunq; eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes, pro valde malis, etsi nulla sint adjumenta mortuorum, qualescunq; vivorum sunt consolationes.* Cur igitur hunc non produxit *Dezius*, qui ad expressam sacrificii propitiatorii appellationem saltem propius accedit, quamquam nondum id exprimat totidem verbis? Æquum omninò fuerat, si Missa vera sit species ejus sacrificii, quod propitiatoriū appellatur, non minus sive in *Scripturâ* sive in sanctis patribus, nec per obscuras ambiguasq; descriptiones, sed clarissimâ specificâq;, ut *Philosophi* loquerentur, nomenclaturâ, nec aliquando tantum, sed cõmuniter insigniri, quia & in *V. T.* sacrificia propitiatoria id nominis vulgò gesserunt & in hodiernis Pontificiorum scriptis, postquam ipsorum opinione propitiatorium esse cœpit Missæ sacrificium, omnibus tantum non paginis hoc titulo superbit. Cur igitur ne semel quidem integrum sacrificii propitiatorii pro vivis mortuisque nomen apud veteres compareret?

(h.) *Enchir. c. CX.*



ret? Ubi verò II. ab Augustino sacrificia altaris, quemadmodum & eleemosynæ, propitiationes, propitiare, propitium nobis reddere DEum ab antiquis dicuntur, propitiationis vox, quod & apud Latinos scriptores fieri videmus, pro quacunqve ad benefaciendum inclinatione accipitur. Exempla apud Lexicographos innumera occurrunt. Quamquam verò pro substratâ, de quâ loquimur, materiâ, nonnunquam eam animi commotionem significet, quæ ad beneficium remittendæ pœnæ tendit, atque adeò ex irato placatum facit, tamen à genere ad speciem affirmativè, id est, vitiosè inferret, qui concluderet: veteres Missam vocant sacrificium, quod nobis DEum propitium reddit; ergo pœnas peccatorum condonantem. Cum infinita beneficia sint, quæ à DEO obtineri queant, præter pœnarum relaxationem, qualem præterea post mortem nullam nobis Divini verbi regula concedit. Quo pacto verò, quibusq; modis sacrosancta Eucharistia, quam veteres sacrificium impropriâ loquendi ratione vocarunt, DEum propitiare à veteribus asseratur, fusè exposuit diligentissimus Ecclesiasticorum rituum indagator, *D. Joach. Hiltebrandus*. (i.) III. Cum veteres sacrificium altaris propitium nobis reddere DEum asseverarunt, non actum aliquem aut oblationem sacrificialem, ceu Romani hodie faciunt, sed communionem Sacramentalem sacrificii olim in cruce peracti, eiqve adjunctam animi devotionem, præsentem corpore & sanguine Christi ad DEum directam, h. e. preces ardentissimas intellexerunt. Quod ipse adductus à *Dexio* Augustini locus evincit, ubi non tam sacrificio, pro matre suâ oblato, quam fufis ad oblationem precibus effectus ille tribuitur, de quo loquitur Augustinus. Probavimus hoc uberius ex Cypriano & Augustino eo loco, ubi de oblatione veterum pro sanctis egimus. (k.) Inprimis verò ex Chrystomo, eo capite, ubi sacrificium pro invocatione sanctorum celebratum expendimus. (l.) Denique IV. quarti quinqve

(i.) In Offert, p. 105, f. (k.) C. IV, §. XXIII. (l.) C. VII, §. XVII.



tiqve seculi scriptores in subsidium vocat *Dezius*, quia antiquiores in purioribus seculis reperire non potuit. Illâ verò ætate inclinare quodammodo veterem Ecclesiæ doctrinam & deflectere à priscâ munditiæ & innocentia hoc ipso in argumento cœpisse, non inficiamur. (m.) Suoqve supra loco ex instituto ostendimus, quibus initiis mortuorum, primò omnium singulorumqve, cum bonorum tum malorum, memoria ad altare in precibus, tandem etiam in Liturgiis celebrari cœperit, ut tamen primis illis seculis, cujus rei vestigia hodieqve in Missarum solennibus supersunt, non nisi refrigerium qualecunqve & solatium, non remissio pœnæ peccato ex naturâ suâ debitæ, à DEO fuerit flagitatum. Initia sub exordium seculi tertii ponit *Hiltebrandus*, incrementum sub finem seculi quarti, (n.) ut tamen illam juvandi mortuos virtutem precibus tantum & aliis pietatis exercitiis, ipsi verò sacrificio, ex opere, ut loquimur, operato agenti, de quo tamen hodie nos inter & Pontificios unicè quæstio est, ante octavum, ut puto, seculum non deprehendantur doctores adscripsisse.

XIIX. Nec etiam ad ipsa adducta à *Dezio* Patrum loca, quæ moneri poterant, defunt. Nam *Chrysostomus*, cujus truncata referuntur verba, loquitur de ἀμαρτανῶσι seu peccatoribus universim omnibus, præsertim iis, qui malitiosis peccatis æternas promeruerunt pœnas. Dum enim solatio erigere superstites ob suorum excessum adlaborat, omnes dolendi contristandiqve rimas Apostoli exemplo occludere adnititur. Cumqve ex eo quoq; mœroris materia viventibus adnascitur, quod utrum salvi facti fuerint, qui ex suis decesserunt, an damnatorum consortio illati, aut nesciant aut dubitent, huic etiam scrupulo consolationis medicinam adponit. Verba sunt: *Sed quo abierit, inquis, ignoro. Ignoras? Vel rectè vixit, vel secus. Utrinq; quo profectus sit, constat.*

(Allu-  
sionem.) Videatur supra c. V. §. XXXI. p. 165. 167. (u.) Offert. c. X.

IIIX. 2. p. 76. 1. (1) IIIIX. 2. VI. 2. (1) 3. 201. 7. 110. 1. (1)



(Alludit sine dubio ad epulonis & Lazari historiam, in quâ duo tantum loca, quorsum post mortem devenerint, enarrantur, sinus Abrahamæ & locus tormentorum è quo eluctari non datur) *Id ipsum est, quod perturbat, inquis, quia discesserit peccator.* (Mortali nempe peccato onustus, quique pœnitentiam non egerat. Si enim pœnitentiam egisset, Pauli exemplo, qui licet πρώτος primus inter peccatores fuerat, per pœnitentiam tamen misericordiam consecutus est, (o.) perturbationis nullam habuisset causam) *Sunt hæc suffugium & pratextus.* Nam si tu idcirco mortuum doles, formare, componere viventem oportebat. ζῶντα μεταλλάσσει ἐχθὴν καὶ ῥυθμίσει; obscure vertit *Sim. Gryneus*, civis meus: formare, componere viventem oportebat. Μετάλλαξεν est *transmutare*, aliam induere formam; ῥυθμίσειν verò, apud *Rob. Constantinum*, aptare, disponere & corrigere. Ut adeò dicere *Chrysostronus* voluerit, nunc tempus non amplius esse, vitam per pœnitentiam emendandi; debuisse defunctum, dum viveret, in aliam transfigurari vitam, moresque ejus corrigi atque in melius disponi; quo pacto omnis inœstitiæ in ejus morte materia fuisset præclusa) *Verum tuas tu vices*, (qui officio tuo defuisti) *non hujus deploras.* *Abierit peccator sanè*, (hic demum incipiunt verba, à *Dezio*, allegata) *gaudere decet, peccata impedita esse & non accumulatum malum.* (\*) (Denuò hæc verba, medio in orationis fluxu posita, omittit *Dezius*, ne de peccatis mortalibus loqui *Chrysostronus* adverteretur) *nitique, quantum fieri potest*, (ὡς ἂν οἶον πῆ, quæ verba iterum apertissimo cum veri sensus damno elisit *Dezius*) *ut jubetur non lacrymis, sed prece, supplicationibus, eleemosynis, oblationibus.* (Eleemosynis nempe inter pauperes privatim distributis, oblationibus verò munerum publicè in Ecclesiâ factis, quas adhuc hodie vocamus vel *Opffer* vel *milde Gaben*) *Non est temere hoc excogitatum, nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria (Eucharistiæ) celebra-*

D 2

celebra-

(o.) I. Tim. I. 15. 16. (\*) Repetit hoc iisdem ferè verbis *Hom.* LXII in *Joh.*



celebramus, aut accedimus, pro istis agnum illum jacentem, (κέλευνον, propositum nobis in S. Cœnâ, quo sensu & paulò post dicit: καὶ γὰρ τὸ κενὸν τῆς οὐκ ἐμμένης κείτου κατάρσιον; quod malè reddidit Grynæus: communis totius orbis victima preces sunt, cum verti debuisset: commune enim totius orbis piaculum, in Evcharistiâ nempe, de quâ sermo fuerat, proponitur) *Speccata mundi tollentem deprecantes, sed ut his consolatio hinc aliqua fiat.* Est autem, non diffidente Dion. Petavio, planè solenne Chrysoftomo, ipsismet damnatis ex vivorum intercessionibus & suffragiis pœnarum quandam promittere relaxationem. Loca, quæ ne dubium quidem ullum relinquant, excerpfit complura & integra repræsentavit nostras D. Kortboltus. (p.) Quæ ne diffusior tractatio nostra fiat, hic omittimus. Quibus præsens hic, quem pro se allegare Dezius ausus est, jure meritoque additur. Quod præter rationes jam à nobis adductas inde quoque patescit, quia ex debito & utilitate pro omnibus vivis orandi, exque universali totius orbis sacrificio, non dubitat & argumentum pro debito & utilitate pro omnibus mortuis precandi depromere. Quamquam & in collectione erret sanctus pater & in sententiâ ipsâ. Sed verò non ipse solus jucundo huic errori: ipsos quoque damnatos ex precibus nostris tormentorum aliquod levamen, saltem per vices, sentire, indulgit. Eundem similiter complexus est Augustinus, quamquam cum dubitatiunculâ quadam, & post eundem *Prudentius*, qui nocte illâ, quâ Christus natus est, pœnarum ferias esse sub styge canit.

*Marcens suppliciiis tartara mitibus,*

*Exultatq; sui carceris otio*

*Umbrarum populus, liber ab ignibus,*

*Nec fervent solito flumina sulphure.*

Ne quid de aliis, quorum tanta non est auctoritas, dicamus, Damasceno, Basilio Seleuciensi, Gilberto Pictaviensi, Wilhelmo

(p.) Diff. II. Anti. Baron. p. 49.



helmo Antiffiodorensi, Ruperto Lincolnensi, Hugone Etheriano, Vincentio Bellovacensi, Jacobo Voraginenfi & innumeris aliis, quos diligentissimè signavit *Kortboltus*. Imò ritum pro omnibus demortuis, adeoque & damnatis, orationes, easque proficuas, fundendi, non quidem ex Origenis errore, qui precibus infernalium civium supplicia prorsus tolli posse docuit, sed quod talibus supplicationibus minui cruciatus aliquantisper putaverint, manente suppliciorum æternitate, *aliquando fere fuisse universalem*, non equidem improbabiler censuit *M. Ant. de Dominis*; quod cur in dubium vocet, neque probari posse dicat doctissimus *Hiltebrandus noster*, (q.) nulla ratio apparet, An enim Augustino *αὐτὸ πῆν* non credemus, de sui temporis œcumenicâ consuetudine testanti, locis, quæ ipse allegat *Hiltebrandus*? (r.) Universæ Ecclesiæ morem esse, in precibus sacerdotis *commendare DEO mortuos*; (s.) & quidem *omnes in Christianâ & catholicâ societate defunctos, etiam tacitis nominibus*. (t.) Valde bonos, non valde malos & valde malos, id est, *baptizatos defunctos omnes*. (u.) Quid clarius? Quod & illæ veterum precandi formæ confirmant, quibus orabant, ut DEUS meminisse vellet *πάντων ἀπλῶς πᾶν ἐν ἡμῖν περὶ κεκοιμημένων*, *omnium nostrorum simpliciter, qui ante nos mortui sunt*; (x.) & *omnium, qui nobiscum sive parum, sive multum consociationis habent*; (y.) quales formulas plures loco allegato collegit *Kortboltus*. (z.) Ad quas citra dubium digitum etiam intendit medio seculo tertio *Arnobius* cum ait, *in conventiculis summum orari DEUM & pacem cunctis atq; veniam postulari, magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, ad huc vitam degentibus & resolutis corporum vincione*; cunctis nempe his gentilibus, vivis & mortuis, adeoque inferni incolis. (\*) Et quid aliud est, quod *Epiphanius* in *Aeriano-*

D 3

riano-

- (q.) Offert. p. 95. (r.) P. 76. (s.) De cur. pro mort. c. I. (t.) Ibid. c. IV. (u.) Ench. c. CX. (x.) Cyrill. Hieros. Catech. Myst. V. (y.) Lit. Syr. Tom. VI. Bibl. Patr. (z.) P. 41. l. (\*) IV. contr. Gen. 5, l.



rianorum hæresi scribit: orationem pro mortuis iisdem non esse inutilem, *εἰ καὶ τὰ ὅλα τῶν αἰτιμαμάτων ἐκ σκοπέου*, tametsi non omnes culpas extingvat? (\*\*.) Hoc vult, quamquam non omnes tollat pœnas, *ἐλεῖ* tamen, misericordiam quamcunque & pœnæ mitigationem, ut in sequentibus loquitur, procurare. Quæ verba *D. Hildebrando* (\*\*\*) non poterant non esse, ut ait, obscura, quia veteres negavit pro omnibus orasse, bonis malisve; quæ verò de actu damnatis intellecta facilem, ut quilibet videt, habent sensum. Cum verò mortuis ex precibus nostris *παρηγορίαν τινα*, consolationem aliquam accedere profitetur Chrysostronus, ipsa mollior loquendi ratio indigitat, non se loqui de omnimodâ DEI propitiatione, qualis illa est, quam *Dezius* intendit, quâ per sacrificium pœna temporalis, peccato debita, aufertur & homo salutem asseritur, quippe qui alias, grandi usus stilo, oblationum & deprecationum virtutem longè magnificentius laudasset, dicendo: non opus esse ullo mœrore, cum per deprecationem agni immaculati omne peccatum, omnisque peccati pœna, etiam in defunctis, prorsus aboleatur. Jam cum insigni cum *μειώσει* dicat, aliquam fieri consolationem, (a.) vel ut alibi loquitur, *βοήθειαν ἕνα μικρὸν μὲν, βοήθειαν δὲ ὅμως δυναμένην*, aliquod auxilium, exiguum illud quidem, sed quod tamen juvare possit, (b.) itemque quod *καφὴν κέλευσιν*, levius remissiusque reddere supplicium queat, (c.) seu ut loquitur Augustinus, quod levamen vel adhibeat vel interponat cruciatibus, (d.) manifestum est, eum loqui de damnatis, non pœnarum peccato debitarum relaxationem, sed qualemcunque tantum mitigationem impetrantibus, adeoque Chrysostroni locum frustra prorsus adduci.

XIX. De Augustini testimonio jam supra diximus. In universâ verò illâ Arianæ hæreseos descriptione, quæ apud

(\*\*.) C. VII. p. 911. Ed. Petav. (\*\*\*) Disp. de Hær. Arian. §. XXI. (a) Ut hoc loco & Hom. LXI. in Joh. juxta Latin. LXII. juxta Græc. numerum. (b.) Hom III. in Phil. (c.) Hom. XXI. in Act. (d.) Enchir. c. XII.



apud Epiphanium & Augustinum occurrit, solos nempe A-  
 erio vel coævros vel proximos, cum reliqui omnes ejus tem-  
 poris scriptores, ipse etiam hæreseon promus condus,  
 Philaster, hanc hæresin non sine suspicione quæpiam alto si-  
 lentio involvant, ne verbum quidem ullum, nedum oratio,  
 aut indicium quodvis aliud deprehenditur, ex quo cognos-  
 ci possit, sacrificia eundem, mortuos DEO propitiantia,  
 pœnamque ex peccatis residuam removementia, improbasse.  
 Id tantum Augustinus in verbis à *Dezio* adductis profiteretur:  
 docuisse Aerium: *orare vel offerre pro mortuis oblationem non  
 oportere.* Is, quem sæpius laudavimus, *D. Hildebrandus*, (e.)  
 oblationem pro mortuis ἐπιξήγησιν tantum orationis, cui per  
 voculam: *Vel*, connectitur, esse autumat. Si verò in quo-  
 tidianâ vulgatissimâque, significatione, quâ offerre oblati-  
 onem, est munera ad altare adferre, accipiatur, nondum  
 tamen Evcharistiæ sacrificium inferet, quo pacto vocem  
 perperam à quibusdam ubique ad hodiernum morem ex-  
 plicari, non sine gravi additâ cautelâ, pronunciat *Gabr.  
 Albaspinus*. (f.) Quam ipsam tamen oblationem preca-  
 tio, eodem notante, ex more veteris Ecclesiæ semper in-  
 secuta est. Non igitur probavit *Dezius* hoc Augustini  
 testimonio, Evcharistiæ sacrificium esse propitiatorium  
 pro mortuis, quippe de quo ne loquitur quidem Augu-  
 stinus. Sed nec in Epiphanio quicquam ἀναμφισβητήτως de  
 sacrificio memoratur. Id tantum dicitur Aerius docuisse:  
 nullam esse rationem, cur *post obitum mortuorum ὀνομάζειν,  
 appellare nomina debeamus*; (g.) aut *pro demortuis fratri-  
 bus concipere preces.* (h.) Equidem inter argumenta,  
 quibus orationi pro demortuis bellum indixit Aerius, hoc  
 in fronte collocat Epiphanius: εὐχεται γάρ, φησὶ, ὁ ζῶν ἢ οἰκονο-  
 μίαν ἐποίησε, τί ὠφελήσεται ὁ τεθνεώς? Phrasin: οἰκονομίαν ποιεῖν,  
 non uno modo interpretantur auctores. Sunt, qui de sa-  
 crificiū

(e.) Disp. de Aer. §. XXIIIX. (f.) I, Obs. V. §. II. (g.) Hær. LXXV. §. III.

(h.) Ibid. §. VII.



crificii Eucharistici administratione, quod ab Epiphanio in Expositione fidei aliquoties *λατρεία Ἰησοῦ οἰκονομίας*, h. e. interprete H. Valesio, (i.) *cultus passionis Dominicæ* appellatur, intelligunt. Quibus & doctissimus *Hildebrandus* accedit. (k.) Est enim passio Christi pars œconomix veteribus in articulo de Christo ita dictæ, Theologiæ opposita. Sed alii de eleemosynarum dispensatione & erogatione accipiunt. Est enim *οἰκονομία* etiam *dispensatio*. Ita è nostris D. *Qvæstedius*. (l.) E Romanis partibus *Dion. Petavius* verborum, superius ex Epiphanio adductorum, hunc in versione suâ repræsentat sensum: *nam ut vivus oret, aut in pauperes bona sua dispense, quid ex eâ re tandem ad mortuum redit? Ad marginem quoque hoc ponit lemma: mortuorum memoriam & bona pro illis suscepta opera Aerius damnat.* In Animadversionibus verò suis, suimet scilicet oblitus, hunc ipsum Epiphanii locum de sacrificii mysterio nihilominus exponit. (m.) Quam in hoc viro inconstantiam in pulcherrimâ de variis Oeconomix sacræ generibus Dissertatione notavit amicissimus mihi D. *Veielius*. (n.) Insolens nimirum loquendi ratio est: *οἰκονομίαν ποιῆν, dispensationem facere*, quæ cum alibi non facile usurpata inveniatur, ambiguum interpretibus reddit sensum. Unde intra eandem incertitudinem Aerii verba circumloquitur D. *Bebelius*: *nihil inde utilitatis redundat ad defunctum, etiam si vivi pro ipso orent, aut in celebratione S. Cœnæ, aut dispensatione eleemosynarum nomen ejus commemoretur.* (o.) Atque adeò, ceu diximus, incertum est, utrum Aerio sententiam de inutili sacrificio pro mortuis imputet Epiphanius, qui nonnisi de precibus pro mortuis extra omnem dubitationem loquitur. Volebat autem *Dezius* non sine singulari studio ea ad probandam thesin suam loca producere, quæ à veteribus, non in verborum tantum virtute agnitam esse, sed ipsis disertis verbis in Eucharistiæ sacrificio pro mortuis propitiationem affirmarent.

## F I N I S.

(i) Not. ad Euf. p. 286. a. (k.) Disp. all. §. XXIV. (l.) Antiq. Eccl. p. 526. (m.) P. 364. (n.) P. 6. (o.) In Antiq. Sec. IV, Tom. II. p. 1136.



**E**Rgo conscendis cathedrâ perennis  
Laude, PRÜSSINGI, Studiiqve primos  
Fructus emittis. Tua coepta, crede,  
Sunto probata.

Ergo nunc pergas adamare semper  
Literas! Cursu ex animo peracto,  
Præmium summum Tibi non negabit

Dextra Jehovæ.

*Gratulab. Clarissimo DNO. Respondenti applaudit*

**J. N. QVISTORP. D.**

p. t. Acad. Rect.

---

**Ad Clarè doctum DN. RESP. PRUESSINGIUM,**

**C**ontra Missifices dum dogmata sacra tueris,  
Claraqve sic studii das documenta Tui;

*Is pius, en! dico de Te, feliciter urgens*

Propositum; sed idem nominis \* omen ait.

*Sis pius ac urgens semper; sic omnia faustè*

Cedent, sic studii præmia grata feres.

\* *Pruessingius:*

Anagr.

*LMQ.*

*Is pius urgens.*

---

**A. D. HABICHHORST, D.**

*Admodum Reverendo Amplissimogq; Viro,*

**DN. GEORGIO WESTPHALIO,**

Ecclesiæ Cathedr. Swerinensis Pastori

præclarissimè merito,

**Amico veteri & conjunctissimo,**

*S. P. P.*

**P**RÜSSINGIUS Tuus, quem mihi, cum huc accederet ex disciplinâ Tuâ,  
sollicitè commendasti, ex toto illo tempore inter omnium diligentissi-  
mos fuit scholarum mearum, privatarum, publicarumq; auditors. Non  
memini, facile unquam, quippe in ipso meo conspectu semper sedentem,  
à me fuisse desideratum. Nec dissimilis ardor à cæteris hujus Academiæ  
doctoribus, quorum ei lectiones in pretio fuerunt, in eo fuit deprehensus.  
Ex eâ, quam à Te, Vir Præcellentissime, & sanguinis conjunctione & mo-  
nitorum gravitate & ipso præcipuè illustri atqve quotidiano Tuo exemplo  
hausit, pietate non potest alia quam talis in severiora studia sollicitudo pro-  
manare. Cum ante decennium & ipse hic me præceptore uteris, ita Te  
verus illibatusq; DEI timor & pertinax morum modestia totum occupave-  
rat, ut non tam amarem Te, quam colerem, immò ut DEI amicum vene-  
rarer.

E

rarer.



rarer. Eundem planè hic Tuus ex sorore nepos animum gerit. Qvi igitur ex tanto pietatis sensu, tantâq; cum DEO conjunctione non poterunt olim fructus expectari? ô si, quicumque apud nos sanctissimæ illi sapientiæ, quæ nobis Theologia dicitur, studia sua consecrarunt, eandem induerent mentem! Nunc & cathedram ascendere & cum commilitonibus de rebus sacris differere Tuus ille instituit, cunctis nempe palam facturus, quid privatâ hætenus industriâ effecerit. Ratus, non sufficere, ut solam animi DEO devoti innocentiam in sacrum olim ministerium adferat, sed os quoque sancto Spiritu plenum & ad eloquenda exponendaque Divinorum oraculorum mysteria promptum esse debere. Talem omninò quondam habiturus es, optime WESTPHALI, talem Tibi formasti & eduxisti ipse. Nec ignorat hoc PRUSSINGIUS, qui Te jamdiu colit ut alterum summo affectu immensisque beneficiis Parentem. Ego verò DEum enixissimè precabor, ut utrumque Vestrum, Te, Theologum, invidendâ morum sanctitate & in obeundo officio exactissimâ ad conscientia regulas curâ inclytum, familiae Ecclesiae, patriæ; Filium verò illum Tuum, cui novum post genitoris discessum Patrem repræsentas, & Tuæ aliquando & publicæ spei, conservet incolumes. Vale, Vir DEO charissime. Scr. Rostochii, d. XXV. Febr. Anno MDCCI.

*Adm. Rev. Nom. Tuo omni officiorum observantiâ addictiss.*

JO. FECHT, D.

**E**Gregiè, PRUSSINGE, Tuas vigilare lucernas  
Demonstrat studii continuatus amor.  
Non vanâ potui nuper Te laude beatum  
Sistere WESTFALIO, cui decus omne, Viro;  
Nec me literulæ, quam scripsi, pœnitet umquam,  
Qvi Te percipio sedulitate frui.  
Sic libris operam gestis impendere gnavus,  
Tamquam sedulitas sola magistra foret:  
Et sic (fama velut, superans velut omnia visus  
Edocet) hîc vivis, sancta uti jura volunt,  
Fermè credaris sic vivere velle modeste,  
Ac si sit pietas una magistra Tibi.  
Jungere perge DEUM studiis sine crimine cœptis,  
Et tua sedulitas sit pietatis amor:  
Sic, quam sint digni fructus post acta futuri,  
Sentiet augendum non sine laude caput.  
Omnia promittunt Tibi prospera, clara, suprema,  
Et DEUS, & Pietas, cœligenæq; Boni,  
Atque Tuus, Duce quò cathedram conscendis honestam,  
FECHTIUS haud parvam conciliabit opem.

Macte



Maecte animo docto ! Millam nunc lterne profanam,

Et studii specimen porrige : & ecce manum !

Tessera victricis jacet hæc certissima palmæ,

Quam Tibi non falsa grator & opto fide.

JOH. PETR. Grünenberg D. P. P.

Consil. Duc. Consist. & Distr. Meklenb.

Superintendens.

**D**E *Missæ* specimen primum PRÜSSINGE, paranti,

Quò Tua sedulitas se studiumque probet,

Gratulor, atque precor, faveat Moderator Olympi,

Quò bene sub Magno Præsìde cœpta fluant.

Successus etiam porrò Tibi gratia præstet

Numinis, & studiis præmia digna feres.

*Id quod Pra-Eximio Dno. Respondenti, Affini & Amico longe  
dilectissimo animitus vovet*

M. JACOBUS Burgmann / P. P.

& ad Æd. Nicol. Ecclesiastes.

**I**ngenii dotes prodìs Clarissime PRÜSSING

De Cathedrâ surgens non sine laude novâ.

Sic lege cognati porro vestigia Magni

WESTPHALII cujus dia talenta colo.

Gratulor hos ausus, quos provida cura secundet

NUMINIS, ex animo quod colis usque pio.

*Sic Clariss. DN. PRÜSSINGIO, Juveni ob optimam eruditionem,  
infucatamq; pietatem bonis omnibus commendatissimo, Au-  
ditori suo hæctenus perquam industrio, Amicoq; sibi per dile-  
cto, de specimine eruditionis publice edito animitus gratulari  
cum voto ulterioris divina gratia voluit*

Z. GRAPIUS, P. P.

& ad D Jac. Archi-Diac.

**I**n unverdroßner Fleiß läßt seine Krafft verspühren /

(Die Plato sonstn rühmt' / als werd durch ihr bewegt

Die Tugend von Natur / und könn' zur Tugend führen)

Bei Ihm auch Wehrster Freund / in dem was dargelegt /

Und was vor Augen ist / so nichts als Fleißes Proben.

Wolan ich ruff IHM zu: der Anfang sey beglückt /

Es segne seinen Fleiß hinführo GOTT von oben!

So ist auch dir gewiß das ihn bald Ehre schmückt.

*Mit diesen wenigen Zeilen wolte seinen wehrten Freunde  
und Contubernali, als er eine öffentliche Probe sei-  
nes Fleißes ablegte, willigst gratuliren*

JOACHIMUS Manßel / Rostoch.

S. S. Theol. & Phil. Stud.

Mun



**N**un hat die Raubigkeit des Winters sich geleet /  
 Nun zeigt der Frühling sich mit seiner Liebligkeit /  
 Und was das blasse Hembd des Winters hat geheget /  
 Das zieht mit Freuden an das grüne Sommer - Kleid.  
 Nun kömt ein Baum zur Blüht / und zeigtet seine Früchte /  
 Nun schießt ein Gräselein in vollen Wachsthum auff /  
 Und was des Winters Grimm gemachet hat zu nichte /  
 Das richtet sich nun auff zu seinen vorgehen Lauff.  
 So zeigt Herz Vetter sich auch seine Frühlings - Blühte /  
 Nachdem die Winter - Zeit ihr Ende hat erreicht /  
 Des Sommers schöne Frucht trägt izo sein Gemühte /  
 Der nie kein Hyacinth noch Pomerance gleicht.  
 So kömt empor was vor des Winters Wuht gedrückt /  
 Und was bedecket hat der mehr als kalte Schnee /  
 Des Frühlings kluger Geist hat seinen Grimm berückt /  
 Und Ihm die Überschrift gesezet: Ich vergeh.  
 Das Kluge Varn - Athen sieht auff dem Ort Ihn stehen /  
 Allwo ER seine Kunst / Fleiß und Gelehrsamkeit /  
 Dem wehrten Musen - Volck und allen läffet sehen /  
 Die JHM mit vollen Mund zu rühmen sind bereit.  
 Ich wünsche das die Mels, davon ER Disputiret,  
 JHM balde bringen mag / den lang-verdienten Zweig /  
 Der sein Gelehrtes Haupt und Studia bezieret /  
 Und auff der Musen - Burg den Göttern mache gleich.

Dieses schrieb seinen Herrn Vetter / da Er die erste  
 Probe seiner Gelehrsamkeit auff der Moskowi-  
 schen Univerſität ablegte / zu Ehren

**JOHANNES Bätcke. Warenens.**  
 Megapol. S. S. Th. St.

Ad præcellenlissimum clareqve doctum Dominum RESPONDENTEM.

**I**N Castris Sophiæ vigilantanti fronte stetit  
 Musarum Miles, prælia conspiciens  
 Hactenus. Ulteriora petis. Pugnare voluptas,  
 Summus habetur honos: Arma parata geris,  
 Cur, iniquis, remoror? Vires ac arma valebunt,  
 Utere! tempus ait; Dezius hostis adest,  
 Propugnans MISSAM; Sed supprime, vince repugnans,  
 Arma regente DEO. Gratulor ex animo.

*Honori ac amoris quæ debuit pancula hæc  
 adjicere voluit*

**JOH. HENR. BUSSENIUS. S. S. Th. Stud.**



Coll. d. ss. A. 32, misc. 59